

23. *An ullum mendacium sit laudabile?* N. Est enim peccatum, quod pugnat cum veracitate.

24. *An omnis concupiscentia sit damnanda?* N. Est enim alia ordinata & moderata, alia inordinata & immoderata.

25. *An concupiscentia, qua discrepat à lege DEI, sit peccatum originale, vel actuale?* Quatenus significat propensionem & procliuitatem, est peccatum originale; quatenus cupiditatem, quæ in neruum erumpit, est peccatum actuale.

CAPVT VI.

De Oratione Dominica.

I.

Quid sit oratio Dominica? Est compendium earum rerum, quæ à Deo sunt petendæ, præscriptum à Domino & Seruatore nostro Iesu Christo, vt sit norma precationis.

2. *An alia etiam formula precandi præter hanc sint usurpanda?* Omnino: si nempe diuinæ huic formulæ sint consentaneæ.

3. *Quomodo diuidatur oratio Dominica?* In πρόλογον, λόγον, & ἐπίλογον. Πρόλογος est exordium, in illis verbis: *Pater noster,*

B noster,